

geli, homines, demones, visibilia & invisibilia. DEXTRA IN SCRIPTURIS POTENTIAM significat. &c. Sic igitur hodie factus est a Deo Patre Dominus super omnia Christus, hoc est, JUXTA ejus HUMANITATEM: Est enim Deus & Dominus omnium ab eterno, sed SECUNDUM HUMANITATEM, & naturam quam hodie exaltavit, & sic secundum illam hodie accepit nomen, quod est super omne nomen, Regis, Domini Dominantium &c. & ut in hoc nomine JESU omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus est in gloria Dei Patris, id est, ÆQVALEM cum Deo habet potestatem & gloriam: & hæc est magna consolatio nostra.

Conclusio. §. 49. Ego, vel his etiam fatentibus Scriptoribus, atque hunc in modum exponentibus, vera hujus est articuli declaratio, scripturæ sacræ, fideique symbolo, congrua: *Christus JESUS sedet in dextra Patris, id est, secundum humanam naturam, in equali, parique cum Deo Patre potestate, potentia, gloria, majestate dominatur, & regnat. Huic Domino nostro, JESU CHRISTO, serviamus in justitia, & pace, & gaudio in Spiritu S., & erimus DEO accepti.*

F I N I S.

